

Locútus est Móyses pópulo dicens:

- ⁴ «**S**uscípiens sacérdos cartállum de manu tua
ponet ante altáre Dómini Dei tui,
⁵ et loquéris in conspéctu Dómini Dei tui:
“Syrus vagus erat pater meus
et descéndit in Ægýptum
et ibi peregrinátus est in paucíssimo número;
crevítque in gentem magnam ac robústam
et infinítæ multitudinis.
⁶ Afflixerúntque nos Ægýptii
et persecúti sunt imponéntes ónera gravíssima.
⁷ Et clamávimus ad Dóminum, Deum patrum nostrórum,
qui exaudívit nos
et respéxit humilitátem nostram et labórem
atque angústias,
⁸ et edúxit nos Dóminus de Ægýpto
in manu forti et bráchio exténto,
in ingénti pavóre, in signis atque porténtis,
⁹ et introdúxit ad locum istum
et trádedit nobis terram hanc lacte et melle manántem.
¹⁰ Et ecce nunc áttuli primítias frugum terræ,
quam dedísti mihi, Dómine”.
Et dimíttes eas in conspéctu Dómini Dei tui
et adoráto Dómino Deo tuo».

Verbum Dómini.